

UNIVERSITATI OXONIENSI

S. P. D.

UNIVERSITAS MAGGILLIANA

MONTE REGIO IN PROVINCIA CANADENSI SITA.

Gratulamur vobis, doctissimi et amplissimi viri, quod mox adveniet
dies anniversarius tercentesimus ex quo bibliothecam ACADEMIAE
OXONIENSIS instauravit renovavitque THOMAS BODLEY; simul et gratia
agimus quod, cum in animo haberetis memoriam eius pia observantia
recolere, plauxit nos quoque in partem huius amicissime advocare

Quamquam enim adhuc apud nos artium fabriliū cultus magis fertur
vigere quam studia humanitatis ac litterarum, nullus tamen in his
terris est locus tam barbarus, nulla regio tam a consortio hominum
litteratorum remota, quo fama praestantissimae vestrae bibliothec:
cae non pervaserit: ut summo nobis sit gaudio quod NOSTRAM UNI:
VERSITATEM, amore litterarum scientiaeque iam pridem vobiscum
consociatam, hoc tam laeto tempore quasi novo pignore artius con:
iungere voluistis. Optime enimvero desuis meruit vir ille
liberalissimus, qui inter summas quas domi militiaeque adepta est
laudes AETAS ILLI ELIZABETHAE oculos ad istud vestrum tam insigne
doctrinae asylum convertit, regis potius quam privati hominis opus
inchoaturus; optime etiam de nobis, ut quos post tanti temporis
decursum videat haec aetas vobiscum et cum universis communis
patriae civibus artissimis vinculis coniunctos; immo nemo fere est